



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Prooemium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40673

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

PARS PRIMA.

DE LEGIBUS.

Prooemium.



Universam Theologiam Moralem in nostris
Lycæis octo tractatibus complecti moris est;
disputando primo de Legibus universim,
deinde de Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ;
Tertio de Restitutione; Quarto de Contra-
ctibus; Ac descendentes ad Leges Sacra-
mentorum, disceptamus de iis, quæ ad Sacramenta in
genere, ac in specie pertinent, solidum annum tribuen-
tes Sacramento Pœnitentiæ; sicut etiam Sacramento Ma-
trimonii propter materiæ vastitatem; Ac demum de Cen-
suris, ac de Irregularitate; cum etiam Censuræ ad Cla-
vium potestatem spectent. Cursum hunc Theologico-
Moralem quoad ea, quæ pertinent ad Sacramenta, &
Censuras in posteriori tomo Deo miserante absolvimus,
exponendo quatuor tractatibus, quæ de iis disputat Mo-
ralis Theologia. In hoc vero exponenda nobis sunt a-
liis quatuor tractatibus, quæ Moralis Theologia dispu-
tat in ordine ad Leges, ad Præcepta, ad Restitutionem,
ad Contractus. Initium itaque facimus a Tractatu de
Legibus universim, ut viam muniamus ad reliquos tra-

Paris I.

A

status

status, qui magna ex parte ab illius intelligentia dependent; ab eoque in bono lumine collocantur.

Porro Lex, si ejus etymologiam spectemus, dicitur a ligando, ut advertit D. Th. hic quæst. 90. art. 1., cum liget, & obliget creaturas rationales vinculis præceptorum: Dicitur etiam, ut alii interpretantur cum Isidor., & Toletus, a legendo, eo quod identidem illam legere oporteat, ut alte animo insideat. Dividitur celebri divisione in Divinam, & Humanam, ita ut Divina alia sit Naturalis, quæ mentibus humanis a natura insculpta est, & a ratione dictatur, ut sunt præcepta Decalogi; Alia sit Positiva, quæ per revelationem innotescit, ut sunt præcepta Sacramentorum, Fidei, &c.: Humana vero alia sit Ecclesiastica, seu Canonica, a Papa, Conciliis, Episcopo, aut aliis Superioribus Ecclesiasticis lata; alia sit Sæcularis, seu Civilis, lata ab Imperatore, Rege, Republica, &c. Abstrahendo ab his, vel illis legibus, Inquiremus primo Naturam, & Conditiones legis in communi; Deinde causas ejusdem; Tertio agemus de Legis subjecto, seu quosnam lex obligat; Quarto de effectibus legis, præsertim pœnalis, & irritantis, necnon de obligatione legis dubiæ; Quinto quomodo legi parendum sit; Sexto de interpretatione, abrogatione, ac cessatione legis; Septimo de lege non scripta, qualis est consuetudo; Et demum de legis dispensatione.

QUÆ